

S. B. prologus. D. cardi.

domini nostri: qui ait: Iugum enim meum suave est et onus meum leve. Math. xiii. Et de quo beatus Iohannes ait: Mandata eius gravia non sunt: regulas instituit nihil asperitatis aut gravitatis sed humanitatis plurimum habentem: et hoc maxime virtutum et religionis amore serventibus. Amanti quidem nihil est difficile. Augustinus libro confessionum. Qui amat non laborat. Omnis enim labor non amantibus gravis est: solum amor est quod nomen difficultatis erubescit. Idem in libro de sancta viduitate: Nullo modo onerosi sunt labores amantium. Sequitur (Sed et si quod paululum restrictum) quasi diceret. Si quod dictate ratione equitatis aliquid districtius sive durius sive asperum precesserit: quod una duarum causarum contingit videlicet vel propter emendationem vitiorum sicut in pertinentibus ad macerationem carnis: cuiusmodi sunt ieiunia: vigiliae: labores: penitentiae. Dicit enim act. ii. Veni temini ut deleantur peccata vestra. Vel secundo propter observationem charitatis et pacis sicut in pertinentibus ad iusticiam. Parit enim iustitia pacem. psal. Iustitia et pax osculate sunt. Et Isa. Fructus iusticie pax. Noli terri: noli refugere propter hoc viam salutis quam non nisi angusto initio est incipienda dicente domino. Math. vii. Quoniam angusta est porta et arcta que ducit ad vitam. glo. Satis angustum est omnia pretermittere: unum solum diligere: unum querere: unum continue pulsare: omnia prospera non ambigere: et adversa non timere: que omnia monastice vite disciplina continet et docet. (Processu vero conversationis vero) quasi diceret: Nullus timeat: nullus expavescat viam hanc ingredi salutis: et si initium habeat angustum et artum. Vita enim virtutis in principio habet aliquid difficultatis quia inconsueta est. Hieronimus. In suavem et asperam fecit nobis viam virtutum longa consuetudo peccandi. Dulce lumen et delectabile est oculis videre solem ecclesie. xi. et tamen lux solis contristat oculos tenebris assuetos. Sic vita virtutum in principio est molesta: sed postea iocunda efficitur gratia et assuetudine. Et hoc est quod sanctus pater dicit: Processu vero conversationis et fidei dilatato corde per dilectionem iusticie multa suavitate percurritur. Unde psal. cxviii. Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum. Dilatatio cordis ut

ait Augustinus in glo. est iusticie delectatio. Hoc munus est dei ut in preceptis eius non timore sed delectatione iusticie dilatamur: proverbiorum. iiii. Duce te per semitas equitatis quas cum ingressus fueris non artabuntur gressus tui. Hugo de sancto victore in libro de archa noe: Inter amorem dei et amorem mundi hec est differentia quod in principio amor huius mundi dulcis esse videtur sed finem habet amarum. Amor autem dei ab amaritudine incipit: sed ultima eius plena sunt dulcedine. Consequenter exponens que sit principalis intentio institutionis schole divini servitij: subiungit dicens (Ideo constituenda est a nobis divini servitij schola ut ab eius magisterio). i. doctrina (usque ad mortem in monasterio perseverantes passionibus christi per patientiam participemus: ut regni eius mereamur esse consortes. Bene dicit perseverantes: quia incipere parum est nec proficit nisi consummare contingat. Math. x. Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit. Dicit in monasterio. Monasterium dicitur quasi unius statio. Monos enim grece unus latine dicitur: ergo monasterium proprie est ubi unus solus habitat: vel ubi plures sub una voluntate atque uno desiderio omnipotenti deo religiose famulantur. Unde Augustinus super psal. cxxii. Qui sic vivunt ut unum hominem faciant: ut sit illis vere quod scriptum est anima una et cor unum: recte dici possunt unus solus. Bene dicit christi passionibus participemus ut regni eius mereamur esse consortes: quia ut dicit beatus Paulus vas electionis. ii. ad cor. i. Sicut socii passionis estis scilicet in presenti: sic eritis et consolatio eterne ut dicit glo. Et. ii. cor. ii. Si sustinemus: et pregnabimus.

Finis prologi.

Quonia non parva apud multos versatur difficultas: de qua plurime alie oriuntur quomodo et quantum sit regularis ista institutio sancti benedicti pensanda: utrum videlicet cuncta que continet putanda sint esse precepta et consequenter danosa transgredienti: an consilia tantum vel monita: Et ob hoc nullius aut non magni sit poteris ipsorum professio

Amor si sedit laborem.

Duabus de causis districtius aliquid constituitur.

Ubi pax oriat

Angustia vite describitur.

Via virtutis difficilis in principio et quare

Comparatio aptissima.

Dilatatio cordis.

Inter amorem dei et mundi quid differat

Principalis intentio huius institutionis.

Incipere parum est.

Monasterium

Quomodo vivens in congregatione monachibus dicatur

Quid in sequenti tractatu intendat. D. car.

Pre

Adm

Com

cepto

in tra